



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 39. Francisci Folcari antiqui Venetorum Ducis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

ni Patruelis, atque Jacobi Cardinalis Ne- Sæcul. XV.
pos fatis cessit, quem per nutricem He- A. C. 1457.
lenæ Cypri Reginæ veneno extinctum
nonnulli referunt. Hæc ipsa Regina de-
functo Marito suo, secundis nuptiis Lu-
dovico Ducis Sabaudiæ Filio copulata
est. Discimus quorumdam Scriptorum
fide, quod summus Pontifex, sinistro li-
cet successu, in id incubuerit, ut inter vi-
duam hanc, & Petrum de Borgia suum
Nepotem Patrimonii S. Petri Gubernato-
rem connubium conciliaret, eo consi-
lio, ut hunc in Cypri regni folio subli-
mem cernere posset, hunc in finem quem-
dam S. Augustini Alumnum in hanc In-
sulam legasse, ast in vanum laborasse di-
citur. Enimvero Callistum propinquis
ad honorum apices provehendis vehe-
mentius, quam ejus ætas, & sancta quam
gerebat, dignitas, paterentur, incubuisse
constat: Ast idipsum maximam ipsi la-
bem inussit.

§. XXXIX.

*Francisci Foscari antiqui Venetorum
Ducis obitus.*

Hic idem annus Venetorum Reipubli-
cæ sat funestus accidit, ob mortem di-
gnissimi Viri Francisci Foscari, qui defuncto
Thoma Mocenigo Anno supra millesimum
quadrageentesimo vigesimo tertio in Du-
Histor. Eccles. Tom. XXVIII. Kk cem

Æn. Sylv.
Europ. c. 50.

Sæcul. XV. cem suffectus erat. Venerandus iste se
A C. 1457. nex, cum sub suo regimine, quod trigin-
ta quinque annos cum summa nominis
sui laude gefsit, Philippo Mediolanen-
sium Duci fusis sæpius ejusdem copiis
ingentes intulisset clades, ac Brixia, Ber-
gomoque urbibus eidem ademptis, di-
tionem Venetam terra marique longe am-
pliasset, adhuc tam firma corporis vale-
tudine fruebatur, ut Senatum summa cum
sollicitudine moderari nosset, licet jam-
jam ferme nonagesimum ætatis suæ an-
num ageret. Ast Respublica non sine
nota vix unquam auditæ ingratitudi-
nis (*) hunc Virum tanquam Senatui
præ senio inutilem gubernationi cedere
compulit. Hæc injuria tantopore Fran-
cisci animum afflixerat, ut inter dome-
sticos lares vitam privatam ducere pertæ-
sus, paulopost cum indignatione adver-
sus patriam suam naturæ debitum red-
deret. Ejusdem Filius natu major ve-
luti in Rempublicam quipiam molitus
esset, accusatus, parem infestæ fortunæ
calamitatem expertus, ac in exilium de-
pulsus est, a quo tamen sive agnitæ tandem
inno-

(*) *Æquius cum Spondano Continuat. ad hunc annum num. 14. afferimus: hoc certius tribuendum esse nonnullorum ambitioni ac æmulationi, quam æquitati, & justitiæ Senatus toti orbi comprobatae.*

innocentiæ suæ testimonio, sive fervidis Sæcul. XV.
 amicorum precibus adjutus, brevi revo- A.C. 1457.
 catus fuit. Attamen vix domum redux
 nova rursum accusationum capita adver-
 sus eum proferuntur; unde quæstioni
 subjectus, cum nullum crimen fateretur,
 in Peloponesum relegatus, miseram ibi
 vitam finivit. Præterea Foscari Gener,
 cum Cretam Insulam nomine Reipublicæ
 gubernaret, domum repetere cogebatur,
 atque ingenti multtatis pecunia in exi-
 lium mittebatur. Filiorum suorum alias
 Romam auffugit, ubi ad Episcopatum Pa-
 tavinum nominatus, demum a Pau-
 lo V. (*) clam Cardinalium Collegio ad-
 scriptus est.

§. XL.

(*) Continuatorem corrigendum esse cense-
 mus; cum enim Paulus V. primum anno 1605.
 Pontificios apices ascenderit, hunc Petrum Vi-
 rum centum annorum & amplius gravem Car-
 dinalibus ab eo aggregatum fuisse dicendum
 foret: igitur potius Sextum IV. legendum pu-
 tamus; sub ejus enim Pontificatu Onuphrius
 Panvinius in sua epitome Pontificum Romano-
 rum recenset Petrum Foscarum, eumque ap-
 pella Venetum, & Primicerium S. Marci Ve-
 netiarum, ac Episcopum Patavinum, testatur
 que illum Anno 1477. Cardinalem tit. S. Ni-
 colai fuisse creatum.

K k 2